THESES

EX UTROQUE FONTE

TUM PHILOSOPHICO TUM THEOLOGICO

SELECTÆ

QUAS

AUSPICE AC PRÆSIDE

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO VIRO

FRANCISCO SATOLLI

In Statibus Fœderatis Legato Apostolico

necnon

S. Thomæ Aquinatis interprete clarissimo

PROPUGNANDAS SUSCIPIUNT

CAMILLUS ROY ET JOSEPHUS GRANDBOIS

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

ALUMNI

DIE 17 OCTOBRIS

1894

THESES

EX UTROQUE FONTE

TUM PHILOSOPHICO TUM THEOLOGICO

SELECTÆ

QUAS

AUSPICE AC PRÆSIDE

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO VIRO

FRANCISCO SATOLLI

In Statibus Fœderatis Legato Apostolico

necnon

S. Thomæ Aquinatis interprete clarissimo

PROPUGNANDAS SUSCIPIUNT

CAMILLUS ROY ET JOSEPHUS GRANDBOIS

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

ALUMNI

DIE 17 OCTOBRIS

1894

Imprimatur

Quebeci, die 10*a* Octobris, 1894,

† L. N. Archiep. Cyrenen,

Coad. Emi. Card. Taschereau.

ARGUENTIUM NOMINA

IN PHILOSOPHIA

R. D. Jacobus Morrison, Ph. D., S. T. D.

R. D. J. H. Cousineau, Ph. D., S. T. D.

IN THEOLOGIA

R. D. J. C. W. Deguire, S. T. D.

R. D. Cornelius A. Campbell, Ph. D., S. T. D.

EX PHILOSOPHIA

I

Facultates cognoscendi, quæ homini a naturâ insunt, per se non decipiuntur circa proprium cujusque objectum; unde, adhibitis conditionibus quas sibi singulæ exposcunt, sunt media certitudinis infallibilia.

II

Non solum spiritus creati sed etiam res corporeæ verâ gaudent activitate, et propriorum effectuum non sunt meræ occasiones, sed veræ causæ.

III

Deus præter naturæ ordinem quædam operatur quæ optimo jure miracula dicuntur, nec ab alio nisi ab ipso solo tanquam principali causâ patrari possunt : quocirca haberi debent ut criteria et quasi sigilla veritatis irrecusabilia.

IV

Anima humana est substantia tum integraliter tum essentialiter simplex. Est insuper spiritualis. Positâ simplicitate et immaterialitate, sequitur illam esse nullo modo corruptibilem neque per se neque per accidens, ideoque non habere potentiam ad non esse. Est ergo natura sua immortalis.

V

Unio animæ intellectivæ cum corpore est hujusmodi ut ex eâ resultet una persona, una natura, una substantia.

VI

Ad idearum nostrarum originem explicandam, nullo pacto censendum est idoneum systema idearum innatarum ; sed hac in re propugnanda est politiorum scholasticorum, inprimisque Doctoris Angelici, doctrina quæ tenet intellectum nostrum accipere cognitionem a rebus sensibilibus, sed sensibilia per se non sufficere ad intellectualem cognitionem progignendam, quum intellectus indigeat determinari formâ sive specie intelligibili ut actu intelligat. Admittenda est ergo in anima duplex virtus realiter distincta : una activa quæ dicitur intellectus agens, seu lumen intellectuale, cujus est phantasmata illuminare seu formas a sensibilibus abstractas efficere actu intelligibiles ; alia passiva quæ vocatur intellectus possibilis, quæque species intelligibiles in se recipiat ab eisque ad actum intellectionis determinetur.

VII

Deus est ipsum esse per se subsistens absque ullâ potentialitatis admixtione, ita ut non solum sit omnino simplex, sed etiam immultiplicabilis necnon perfectione infinitus.

VIII

Existit suprema quædam lex quæ, spectata ut est in Deo legislatore, dicitur æterna, spectata ut est in creaturâ rationali, merito dicitur naturalis. Hæc naturalis lex est tum ab intrinseco, tum ab extrinseco immutabilis ; eademque omnibus hominibus, qui ratione utuntur secundum naturæ conditionem sufficienter evoluta, est satis perspecta, saltem quoad generaliora principia.

IX

Homo naturâ suâ socialis est, atque jus habet acquirendi stabilem proprietatem.

X

Parentibus ex lege naturæ perfectum inest jus cum gravissima obligatione conjunctum ut physicam, intellectualem, et moralem filiorum educationem procurent.

EX SUMMA THEOLOGICA D. THOMAE

DE VERBO INCARNATO

I

Deum incarnari absolute conveniens fuit ; " sanandæ vero miseriæ nostræ alius modus possibilis Deo non defuit, convenientior autem alius modus non fuit." (August. de Trin.)

II

Incarnationis opus ita ordinatum est in remedium contra peccatum ut probabilius, peccato non existente, Deus incarnatus non fuisset ; principalius autem ad tollendum peccatum originale quam actuale Verbum caro factum est.

III

Contra Eutychetem et Nestorium ostenditur unionem Verbi incarnati factam esse non in natura, sed in persona.

IV

Personam Filii præ cæteris divinis Personis incarnari convenientissimum fuit.

V

Natura humana assumptibilior fuit ad Incarnationis unionem quam quæcumque alia natura, atque congruebat illam ex stirpe Adæ a Filio Dei assumi.

VI

In anima Christi ponenda est perfectissima gratia habitualis, imo gratiæ plenitudo, quæ quadam ratione ei propria est.

VII

Habuit Christus, præter scientiam divinam, creatam quoque scientiam inprimisque beatam, objecto ac modo perfectissimam.

VIII

Divinæ beatæque scientiæ in Christo adjungenda est scientia infusa secundum species a Deo acceptas, necnon scientia connaturali modo acquisita.

IX

Secundum rei veritatem atque genuinam S. Thomæ doctrinam, unum solummodo in Christo admittendum est esse actualis existentiæ.

X

In Christo " utraque forma agit, cum alterius communione, quod proprium est " (S. Leo M.), scilicet duæ sunt naturales operationes pro naturarum dualitate.

Quebeci :—Typis Léger Brousseau

Ex typis: LEODEGARII BROUSSEAU